



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 60. Decimò-tertiò, id etiam ratio demonstrat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

CAPUT LIX.

Duodecimo, id ipsum demonstrat communis hominum sensus.

- 873 **I**nterrogatur namque vel ipsum vulgus, quid de consuetudinariis, facileque & citò relabentibus iudicet? & apparebit, quòd licet se conversos dicant, conversos vulgus non credat eos, qui ante confessionem impudici erant, avari, superbi, vindicativi, &c. si citò post confessionem ipsos adhuc, ut antè, videat impudicos, avaros, superbos, vindicativos, &c. imò eos conversos non credet, quamdiù in ipsis non videbit opera & vitam conversorum, v. g. conversos non credet ab impudicitia ad castitatem, quamdiù non videbit quòd eas occasiones, confortia, dicta, facta fugiant, & omittant, quæ antè frequentabant, dicebant, faciebant: quamdiù etiam ipsos non videbit modestiam, temperantiam, & circumspicionem in dictis & factis amare, colere, observare, à quibus antè erant alieni. Hæc cum aliquandiu præstitisse videbit, vel audiet, ipsos credet factos ex impudicis castos, adèdque ab impudicitia ad castitatem conversos; aliàs non credet. Et idem est de conversione consuetudinariorum & recidivorum, à superbia ad humilitatem, ab avaritia ad liberalitatem, à vindicta ad mansuetudinem, &c. Uique adèd verum est, vel ipsum vulgus, communi sensu edoctum, non ex verbis, sed ex operibus, maxime ex emendatione vitæ, de conversione iudicare; & tunc saltem verbis non credere, cum in ipsis opera non videt conversorum, sed eadem quæ videbat antequam confiterentur.

CAPUT LX.

Decimo tertio, id etiam ratio demonstrat.

- 874 **P**robatur, quia ubi non sufficiunt verba, vel signa verbis æquivalentia (quæ æquè in promptu habent verè & sufficienter non contriti, quam contriti) necessariò recurrendum ad alia signa. Non superfluum autem, nisi pœnitentiæ opera, præsertim emendatio vitæ. Quod addo, quia cætera quoque opera, absque emendatione, non contriti quandoque exhibent; sed, cum vitæ emendatione, opera pœnitentiæ moralem faciunt certitudinem. Tum quia ulteriora signa non superflua, ex quibus de contritione Sacerdos iudicet, nec proinde redargui potest, si fortè fallatur, iis fidem adhibendo; ut meritiò redargueretur, si solis verbis, vel signis æquivalentibus fidem adhiberet: cum minus fallacia contritionis signa habere possit. Tum quia Sacerdos, fidem adhibendo operibus, cum emendatione conjunctis, regulam sequitur Evangelicam, ex fructibus eorum cognoscens eos, Matth. 7. v. 20. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Jacob. 2. v. 18. *Quod enim Apostolus de fide dixit, meritiò applicatur pœnitentiæ: Ostende mihi pœnitentiam tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus pœnitentiam meam.*

CAPUT LXI.

Decimo quarto, propterea SS. Patres censuerunt, magnis peccatoribus non esse amnuendum, dum medicina & ligatura impatientes, tamquam sanatis, statim solvi, & ad altare missi volunt.

- 875 **I**D maxime apparuit Cypriani tempore: cum enim maximam Christianorum multitudinem

dira persecutio prostravisset, atque ex iis plurimi ad Ecclesiam redire volentes, Sacramentorum participationi misericorditer restitui postulerent, eumque in finem sanctos Martyres apud Ecclesiam deprecatores adhererent; ipsi viriliter Cyprianus, & alii sancti Episcopi restiterunt, & ne Martyrum quidem deprecationibus, nec lapsi rum lachrymis, nec turbis ac tumultibus subleccis, moveri potuerunt, ad impartendam ipsis absolutionem, & communionem, antequam plenam conversionem ipsorum laboriosis ac diuturnis pœnitentiæ operibus probatam haberent, prout videt est apud Cyprianum in lib. de lapsis, necnon epist. 52. ad Antonianum, & 55. ad Cornelium, tamen nulla unquam se obtulerit opportunior ad misericordiam occasio, quam tunc. In priori verò epistola illa ad Antonianum Cyprianus scribit ut sequitur: *Persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua, & Domini intellam protegit, in unum convenimus, & scripturis dicit ex utraque parte probatis, temperantem salubri moderatione libavimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent. . . nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, & ad communionem temerè prosilirent, sed traheretur ad pœnitentiam, & rogaretur dolenter paterna clementia, & exanimarentur cause, & voluntates, & necessitates singulorum, ad ferendum prudens de sufficienti ipsorum conversione iudicium. Aditque Cornelium Papam, cum plurimis Episcopis Romæ habito Concilio, in eadem secum sententiam consensisse. Romani istius Concilii mentionem facit Eusebius l. 6. Histor. Eccles. c. 33. dicens, in eo convenisse Episcopos 60. Presbyteros totidem, cum Diaconis pluribus; in eoque statutum fuisse, eos qui lapsi in certamine fuerunt, fraternâ mitigatione curandos, & fomentis pœnitentiæ medicandos. Conformem eadem de re Cleri Romani, sanctorumque Confessorum Maximi, & aliorum in custodia pro Christo constitutorum, sententiam supra non semel exhibuimus.*

CAPUT LXII.

Ex his omnibus tandem inferitur, eumque & duodecim argumentis probatur, absolutionem mox impendendam non esse magnis peccatoribus, præsertim consuetudinariis, vel facile citò relabentibus, qui absque prævis pœnitentiæ operibus preparatoris, absque etiam una emendatione, ad confessionem accedunt; sed ipsis, tamquam non conversis, vel saltem de insufficienti conversione suspectis, absolutionem differendam. Ad cuius probationem quinque priora argumenta præferuntur.

Siquidem hoc probant imprimis argumenta vi. 876
ginti sex, quibus cap. 41. probavimus, secundum ordinariam divinæ gratiæ œconomiam, esse necessarium, ut magnum criminum rei, præsertim consuetudinarii, vel facile & citò relabentes, absolutioni præmittant interna externaque pœnitentiæ opera preparatoria, velut impetratoria doni plenæ conversionis, & ut signa eam Confessario probantia.

Deinde hoc ipsum probant quatuordecim argumenta, quibus à cap. 42. ad 61. ostendimus, penam magnum peccatorum conversionem, maxime consuetudinariorum, vel facile & citò relabentium, Confessario non satis probari per verba, lachrymas, gemitus, & similia signa confitentis, quæ æquè in promptu habent verè ac plenè con-